



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

VI. Sola Maria Eduardi regis soror, Catholicam religionem in aula Anglicana  
profitetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

cum trahere in abyssum. Et quorsum hoc, o Deus permisisti? *Iudicia tua abyssus multa.* Hæreo, & inter innumera video, quod huiusmodi permissionibus soles etiam mi Deus tuorum constantiam in calamitatibus & persecutionibus probare, ut electi manifesti fiant.

VI. Unica fuit inter illustriores in toto Angliæ Regno femina, quæ constanter fidem retinuit. Maria O præclarum sui sexus decus & encomium! siquidem hanc virtutem familiarem sibi atque ordinariam haberet. Maria illa, Henrici VIII. filia natu maior Eduardi autem Regis soror, & cuius etiam postea caput Regio Angliæ diademate redimitum fuit, non exiguam hoc nomine laudem meretur, propterea quod invicta adversus omnem inimicorum Dei rabiem, magno animo antiquam fidem servavit, nec ab Ecclesia se divelli est passa, neque unquam defatigata est in Dei causa propugnanda. Principes eam adjuvant, urgent, premunt: at illa inexpugnabilis persistat. Rogata, ut saltem publice missa celebrari, contra Regis edicta, non permitteret, respondet, *numquam se antiquiorem melioremque colendi Dei ritum, à patribus acceptum, cum nova & nuper ad illorum arbitrium proculsa secta commutatum. Non esse paucorum quorundam, eorumque imperitorum homuncionum, & Episcoporum ad avaritiam libidinem metu compulsorum intricatas questionum spinas evadere; nec hominum præiudicii præoccupatorum, ambigua distinguere, obscura atque abstrusa scrutari & in lucem proferre, nedum Leges salutis sua conscientia præscribere.* Adjungens præterea, futurum aliquando, ut huius sui administrationis tam insolentis eos poeniteat; caveant igitur, ne fratris sui pueritia ad istum modum abuterentur; fore tandem eius rei rationem reddendam. Indignabatur Protector cum ceteris Aulicis, nihil nisi hæreseos promotionem procurantibus, auctoritatem suam contemni à femina: quam propter amorem, quo illam fratrem jam grandisculum complectebatur, reformidabat. Et tamen, licet sub hac umbra Regali tuta videretur adversarii eius, ex cæco animi impetu eo temeritatis progressi sunt, ut Sacellanos eius, quum coram ipsa sacra officia pro more facerent, semel atque iterum conijcerent in carcerem. Sed re significata Carolo Cæsari, confobrino suo, is per oratores suos apud Regem Eduardum obtinuit, ne super ea re amplius molestia Mariæ exhiberetur; ipso etiam Eduardo ægre admodum ferente, quod tam inhumaniter eum ipsa ageretur. Itaque hæretici, quum hac non succedere animadverteret, alia via experi-

undum rati, ea, quæ Parlamenti auctoritate, ut diximus, sancita fuerant, exsequutioni mandare tentaverunt. Quam ob causam à Protectore Regis nomine jubentur duo Primates, Cantuariensis & Eboracensis (quos solos Angliæ Archiepiscopos habet) per utriusque suffraganeos Episcopos, diligenter curare, ut Parlamenti decreta recipiantur, & eisdem promulgatis obtemperetur. Visitatores præterea instituuntur, qui operam dent, ut factæ constitutiones observentur. Iam Biblia in Angliæ sermonem traducta fuerant, & cum his Erasmi in Novum Testamentum Paraphrases. Quæ vertenda, & cum approbatione sua edenda curaverat Henricus VIII. damnatis omnibus aliorum versionibus (quomodo etiam Lutherus non nisi suam admittebat: & Zuinglius eas omnes rejiciebat, quæ discreparent ab ea, quam ipse adornarat: ut & ceteris fere omnibus qui operam hac in re aliquam navarunt, nihil nisi quod ab seipsis profectum est, placet) & tamen, mira sane res! his reformatoribus ne illa quidem Henrici VIII. versio amplius placebat. Siquidem Protector eam quæ ab Henrico VIII. Rege approbata fuerat, versionem pro authentica publicare noluit, sed eas substituit quæ ab eodem damnata fuerant & igni adjudicata. Hæ à Visitatoribus passim circumlata, adeoque in publico templorum valuis affixa, & multò emere hos atque eiusmodi libros coacti fuerunt. Tum etiam salutare illud Christianorum signum, & omnia alia Catholica fidei insignia ex omnium manibus excussa sunt. Conciones nihil nisi Libertatem sonabant: Monasteriorum claustra, quæ Henricus VIII. refringere coeperat, quam lata erant ad exitum monachis & religiosis patebant; carnis voluptates quibus etiam optima ingenia corrumpi solent, non mittebantur modo, sed & laudabantur ac quasi imperabantur: Quod si temporum eorum statum consideremus, videbimus sane omnium animos mira tum novandarum rerum cupiditate incensos fuisse, sic ut pudicitia illa olim claustra, facile à luxuria fuerint expugnata, atque etiam homines ceteroqui non mali, ad mundana inde negocia extracti. Sed tanta animarum clade non contentus diabolus, simul ac semel omnem jacere aleam voluit. Supererant in Angliæ pauci aliquot Episcopi, qui in tanta morum ac doctrina corruptione, quamvis ab Henrico Rege ad eum gradum fuissent proveci, aliquid de Catholica integritate Ecclesie in suis animis retinuerant, & secreto Catholicorum more vivebant & sacris operabantur.

Q 2

Hos



Hos quum frigidiuscule quam ceteros in traducendis ad errores alii, agere animadvertisset regni Protector, omnibus, etiam qui per aetatem minus erant idonei, vxoris ducendae imposuit necessitatem. In his fuerunt Episcopus Eboracensis, Cestriensis, Monae insulae, & Sodorensis Idem sequuti sunt Ecclesiarum Decani, & Canonici non pauci. Alii quidam Episcopi masculae sese huic impietati opponentes, ut Vintoniensis, & Guthbertus Duvelmensis de gradu dejecti, & in custodias dati sunt. Quos sequuti sunt postea Londinensis, Cicerstrensis, & Vigorniensis Episcopi, Deo illorum ignaviam praecedentem puniente. Res tamen vel sic erat miseratione digna, videre magnos illos viros Episcopatus suis dejectos, & cathedras illorum haereticos occupantes. Qua de re Ronfardus in hunc modum, Reginam Matrem alloquens, conqueritur:

*Vah quam saepe bilis mihi fervet cruda, videnti  
Mangones, mimos, balatrones, arto carentes  
Et virtute omni, sacris è censibus udum  
Ventre m'implere mero assiduo: Et meliore palato  
Dignis deliciis! Tantos tu cernis abusus.  
O Deus, & meritos disperdere fulmine cessas?*

Meo iudicio, non quidem prorsus toto caelo errant, qui haereseos ortum & progressum Ecclesiasticorum hominum ignorantiae imputandum censent: qui dum, veterino quodam detenti, non nisi ventris curam gerunt, circumventi sunt ab illis, qui vividiore quodam ingenio, & maiora sapere volente instructi, in Religionis negotio tantas turbas movendo, ad respondendum sibi imparatos aggressi. Ad quam rem haud ineptè accommodari potest illud Stoici cujusdam Philosophema, tum defecisse Progeniem bonorum, quum Doctorem orta est familia; propterea quod virtus sua natura simplex & omnibus exposita, murata sit in spinosam quandam & subtilem scientiam, in qua didicerunt mortales magis disputare, quam ad primitivae fidei praescriptum vitam instituire. Veruntamen non soli ignorantiae tantum nefas est attribuendum quantum in Anglia est commissum. In Anglia enim omnia erant plena hominum doctorum & vigilantium: Rex ad extirpandum monstrum illud, quod omnia vastabat, omnem operam interponebat: Academiae erant bene constitutae: Cardinalis Polus vivebat: Morus Cancellarius diligenter pro Religione excubabat: Episcopi quorum haecenus

mentionem feci, omnis doctrina laude excellentior quae quidem causa dicemus? Culpam etiam tribuenda est cujusdam mollietati animorum, cedentium libidinosi Principis voluntati, primo deinde & Protectoris Zuingliani tyrannidi. Sed verbo absolvamus, iustissime puniit eos Deus pariter, ob causas sibi non ignotas etiam nos lateant.

EDVARDVS SEIMERVS PROTECTOR, a Dudlao circumventus, supplicio afficitur. Eduardus Rex è vita decedit, condito testamento, quo Ioanna Regina declaratur: cui ex hoc fastigio dejectae, Maria succedit.

## CAPUT SEPTIMUM.

## ARGUMENTUM.

- I. Eduardus Seimerus prorex Thomam fratrem, seminarum ambitione impulsus, supplicio affici curat.
- II. Dudlaus Comes Varvicensis Catholicis contra proregem suam rem agens, conjungit, sed post eius obitum ipsos deserit. Mirabiles & absurdissima temporum illorum haereses.
- III. Eduardus Seimerus prorex, Dudlao accusante, ad supplicium raptus.
- IV. Mors Regis Eduardi, & testamentum.
- V. Ioanna filia Ducis Suffolciae, regina proclamatur.
- VI. Ex altera parte Maria Catharina filia reginae legitur, & Londinensem urbem ingreditur.

**E**cce ad quem gradum perducta sit haeresis, Edoardo rerum potiente! Vide nunc etiam quo evaserint coaetanea eorum, qui Regno Anglico primum, deinde sibi ipsis ruinam attulerunt! Polyplus piscis, qui hamum non fugit, sed quatit, propriis dentibus carnem suam absamit, & brachia rodit. Hunc imitati ii, de quibus loquimur, Angliae proceres, qui mortis aeternae hamum deglutarant nec tam facile, ac polyplus, ab eo sese expedire poterant, quum caetera omnia sibi subjecissent, nec haberent quod amplius morderent, converso in seipsos furore, ceperunt inter se bello committi. Vidi-